

rum [A], dominae Benesentae [a] suae sorori in virum tradidit [B]; cui comitatum Zaffae [b] cum regni concessit regimine; qui, Catholicae fidei cultor [c] verissimus, Saracenis bellum induxit [d] perpetuum, asserens publice, quod cum inimicis Crucis Christi nullo vellet conjungi vinculo. Cum autem semper totus in Dei festuaret servitio, subito raptus de medio volavit ad [C] Dominum. Verum, cum mors eius nimium fuisset repentina ac subitanea, non defuerunt qui dicerent socrum [D] eius [e] cum filia [f] in necem eius [g] malum operatas fuisse, [h] eo quod de ipsis curare nullatenus videretur (72). Fuerat namque praefatus Guilielmus corpore pulcher, sed animo pulchrior; fortis viribus, sed virtutibus fortior. Hic ab ineunte aetate, mulierum sprexit consortia, et nullam, nisi uxorem propriam et causa prolis habendae, dilexit carnaliter. Procedente vero tempore congruo, praedicta domina filium peperit, patri suo in multis similem; cui, cum esset [i] septennis [j], defuncto jam rege Balduino (73), Hierosolymitani concessere coronam. Quo infra pubertatem sublato de medio [k] et non sine infamia comitis Tripolitani, matrem pueri omnes elegerunt reginam, conferentes potestatem eidem, ut nuberet cui vellet. Quae nullius usa consilio, sed proprio ducta arbitrio et forte vilissimo, quemdam militem Pictaviensem, qui nuper in Terram venerat, Guidonem (74) scilicet de Lisignano, in virum elegit regem [l]; quod profecto omnium malorum sequentium fuit initium. Nam comes Tripolis, Raymundus nomine [m] [E], comes Raynaldus de Saita, Hugo de Tebaria, Zostedus [n] de Turo-ne et alii multi, occasione mediocris domini, magno dolore permoti, cum rege statim discessionem coeperunt [n] habere.

[a] dominae Benesentae. Sic Cl. Mitt. legit; Beneseritae, etiam legi potest. dominae Parestantae, C. V. Aliis dicitur, Malisenda; sed Melisenda fuit mater Balduini tertii. At aliunde scimus sororem Balduini, Guilielmo nuptam, Sibillae nomine fuisse nuncupatam. — [b] comitatum Zaffae, idest Ioppe. In C. M., comitatum Zaffe; in C. V., comitatum Zaste. — [c] fidei cultor, C. V.; fidei cultorum, C. M. — [d] bellum induxit, C. M.; bellum indixit, C. V. et Cl. Mitt. — [e] Socrum ejus, sic legerem. In C. M., sacrum ejus; in C. V., sororem ejus; Cl. Mitt. socrum ejus legit. — [f] cum filia, C. V.; cum filia, C. M. — [g] in necem ejus. Sic C. M.; in nocte ejus, legit Cl. Mitt.; insimul ejus, C. V. — [h] operatas fuisse, C. M.; operatos fuisse, C. V. — [i] cui, cum esset. Sic legendum puto; qui cum esset, habent Codd. — [j] cum esset septennis. Sic Codd.: quinquennis aliis dicitur coronam accepisse. — [k] in virum elegit regem, sic C. V.; in virum elegerit regem, C. M. — [l] Raymundi nomine. Sic legendum puto notulam Rei, in Cod. M. In C. V., desideratur: habet tantum: Comes Tripolini nomine. — [m] Zostedus, sic Codd. M. et V.; Zofredus, legit Cl. Mitt.; Henfredus, apud Guill. Tyr. ep. — [n] discessionem coeperunt, Codd. An dissensionem legendum? At prius jam dissensio inceperat.

[A] Guilielmus filius Guilielmi senioris de Monte Ferrato, dictus Spatalonga, fuit nepos ex sorore Conradi imperatoris, et regis Franciae consobrinus.

[B] Anno nimirum, si Muratorio creditur, MCLXXIX, tertio nempe regni ipsius Balduini, IV mense octobri. (Vide Guiliel. Tyr. l. 25, cap. 13).

[C] Vixit cum uxore tres menses. Postea incidit in morbum gravissimum, quo per duos menses vexatus, tandem Ascalone, mense junio anni 1180, obiit, uxore relicta praegnante. (Guill. Tyr., l. 21, cap. 13).

[D] Socrus Guilielmi fuit Maria vidua Almerici, filia Ioannis Augusti, quae demum ad secundas nuptias accessit cum Balliano de Ibelim.

[E] Raymundus hic fuit ille, qui non solum propinasse venenum filio Guilielmi regis in suspirationem venit, sed etiam postea a Christi fide descivit.